



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Linea, Lanea, Supellex.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

*Cetera in domo occurrentia.*

*Linea, Lanca, Supellex.*

**F***Acti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruata universe justitia nostra. II. 64. v. 6. Non est hic sermo etiam Calvino & Musculo testibus de bonis operibus justorum, sed de legali justitia, quæ consistebat in sacrificiis expiatoriis, lotionibus manuum, calicum, &c. quæ exteriores justitiæ contaminabantur per adjuncta Judæorum scelera perfidias ac hypocrises velut pannus menstruata. Hinc verbi sequente additur: Non est, qui invocet nomen tuum. Hinc allisisti nos, sive contrivisti in manu, id est per manum iniquitatis nostræ tanquam lictoris sævientis in sui autorem Exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me. II. 61. Quæsit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. Prov. 31. Sic diligens & provida mater familias ex lana & lino constanter à se ac domesticis elaboratis & necessitati suorum providet, & suppellectilem non contemnendam pro filiis ac nepotibus comparat. Stragulatam vestem, hoc est, tapetia facit, quibus lecti ac parietes ornantur, & ex Syndone, hoc est linteo subtilioris operis, & Cingulo, id est zonis pulchrè acu pictis, floribusque aureis, purpureis ac byssinis intextis, pecuniam comparat ea vendendo Chanaanæ, id est Mercatoribus,*

ribus, quia Chananæa gens mercaturæ maximè  
erat dedita. In tali fœmina *confidit cor viri, &  
spoliis non indigebit.* Indiget autem multis v. g.  
D. Consiliarius, & quia talem fœminam non  
habet, sed amantem commoditates, consortia,  
lusus, potus, Thee, Caffee, Chocolat, pompo-  
sas vestes pro se ac prolibus, hinc ad spolia, ad  
quærendas, acceptandas corruptiones via ster-  
nitur. Laudata mulier fortis etiam *de fructu  
manuum suarum plantavit vineam, emit agrum,  
manum suam misit ad fortia, & digiti ejus appre-  
henderunt fusum.* Denique *consideravit semitas  
domus sue, & panem otiosa non comedit.* Ex de-  
fectu talis mulieris in multis holoserico ac tape-  
tibus instratis domibus est splendida paupertas.  
Potus *Thee-Caffee-Gesellschaft* non tam nocet  
ob nummos ideo exponendos, quàm quòd per  
hoc muliebris sexus dediscat labores manuum,  
& passim, ut prò dolor hodie dum cernimus,  
otio, consortiis, lusibus, &c. vacet, atque exin  
laudetur unice, quòd sciat benè conversari,  
eloquenter garrere, ludere, saltare, &c. O  
quàm deviamus à prudentum ac piorum ma-  
jorum moribus. Prudens procus ejusmodi fi-  
liam non appetit. Ponant sibi obsecro matres-  
familias ante oculos velut speculum laudatam  
à sapiente mulierem, & filias suas ad opera ma-  
nuum & œconomica applicent.

*Funes, Scope.*

**F**unes peccatorum (insidiæ, illecebræ impio-  
rum à lege Dei avertere volentium) circum-